



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

43. de grauissimo omnium peccatorum, scilicet in Spiritum sanctum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

Hoc testatur Grego. Prima est cum ^{bol. l. 18.} ^{2.} ^{3.} ^{4.}
 num quod habet quis, sibi tribuit. Se-
 cunda, cum credit à deo esse datum,
 sed tamen pro suis meritis: Tertia, cum se
 iactat habere quod non habet: Quarta, cum
 cæteris despectis singulariter vult videri.

DE GRAVISSIMO OM-
 nium peccatorum, scilicet in
 Spiritum sanctum.

DISTINCT. Quadragesimæ tertie
CAP. Primum.

*lib. 2. cap. 33.
 n. 2. f. 179.*

*Peccatum in Spiritum sanctum est
 omnium grauisimum.*

Luc. 12 **D**E quo Veritas in Euang. ait: Qui pec-
 cauerit in Spiritum sanctum, non re-
 mittetur ei, neque hic, neque in futu-
cap. 5. ro. & Ioan. in Cano. Est peccatum ad mor-
 tem, non pro eo dico ut quis roget. Qui e-
 nim peccat in patrem, remittetur ei. & qui
 peccat in Filium, remittetur ei. Qui au-
 tem blasphemauerit in Spiritum sanctum,
 non remittetur ei, neque in hoc seculo, neq;
 in futuro. Hoc autem peccatum in Spir. sanctum
 quidam dicunt esse peccatum desperationis
 vel obstinationis. *obstinatio* *desperatio* *Quid est peccatum in Spir. sanctum?*
 Obstinatio est indurata
 mentis in malitia pertinacia, per quam ho-
 mo fit impœnitens. Desperatio verò est,
 qua quis diffidit penitus de bonitate Dei,

æstimans suam malitiam diuinæ bonitatis
 magnitudinem excedere: sicut Cayn, qui di-^{gen. 4}
 xit, Maior est iniquitas mea quàm vt veniã
 merear. Vtrunque verò dicitur peccatum in
 Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus est
 amor patris & Filij, & benignitas qua se in-
 uicem & nos diligunt. quæ tanta est, vt eius
 finis non sit. Rectè ergo in Spiritum sanctũ
 delinquere dicuntur, qui sua malitia Dei
 bonitatem superare putant, & ideo pœniten-
 tiam non assumunt: & qui iniquitati tam
 pertinaci mente inhærent, vt eam nunquam
 relinquere proponant. Illam autem solã de-
 sperationem vel obstinationem dicunt esse
 peccatum in Spiritum sanctum, quam comi-
 tatur impœnitentia.

C A P. Secundum. In hac vita pro sin-
 gulis peccatoribus est
 orandum.

Avgust. in lib. retra. commemorans de-^{Lib. 1.}
 finitionem de peccato ad mortem, quã ^{cap. 9.}
 dedit in lib. de sermo. Domi, in mon-^{lib. 1.}
 te dicēs: Peccatum ad mortem est, cùm post
 agnitionem Dei per gratiam Christi, oppu-
 gnat aliquis fraternitatem: & aduersus ip-
 sam gratiam qua reconciliatus est Deo, in-
 uidiã facibus agitur. quod fortasse est pec-
 care in Spiritum sanctum: dicit addendum
 fuisse, si in hac scelerata mentis peruersitate

*Quid pec-
 catum in
 mortem.*

*Cur dicitur =
 est in Spiritu
 sancto.*

finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur: unde illud Ioan. Non pro eo dico ut quis oret, sic accipiendum videtur, ut pro aliquo peccante ad mortem, vel in Spir. sanctum, postquam finierit hanc vitam, non oremus. De nullo enim desperandum est, quoad ad poenitentiam patientia Dei adducit.

DE POTENTIA
peccandi.

DISTINCT. Quadragesimæ quartæ
CAP. Vnicum.

Potentia peccandi à Deo est.

Ro. 13. **A** It enim Apost. Non est potestas nisi à Deo. Quod non de potestate boni tantum (ut quidam dixerunt) sed & mali intelligi oportet: cum Pilato etiam Veritas dicat, Non haberes in me ullam potestatem, nisi datum esset tibi desuper. Malitia nempe hominum (ut ait August.) cupiditatem nocendi per se habet: potestatem autem si ille non dat, non habet. Ideoque Diabolus antequam aliquid tolleret Iob, dicebat Domino: Mitte manum tuam, id est da potestatem. quia etiã nocentiũ potestas non est nisi à Deo. Sicut Sapientia ait, Per me

Ioã. 19

Iob. 1.

Pro. 8.